

III. Eodem modo nefas est Parochis stolam induere super rochetum aut superpelliceum sed mantelletta contextum, quoties sacramenta administrant<sup>1</sup>, non obstante vetere consuetudine<sup>2</sup>.

e) Sed ut haec sollicitudo reverentiaque in Sacramentis administrandis rite serventur, necesse est ut adeo sancte Pastor vivat ut, momentis singulis, ea digne praebere possit, ne dum alios lavat, semetipsum contaminet, dum alios purgare studet, manibus illotis peius inficiat, dum alios curat, semetipsum feriat. Idcirco quantam in sacerdotibus antiquis puritatem requirebat Deus, et quam exosum sacerdotem indigne sacra tractantem haberet, sua in mente cogitet recogiteque Pastor bonus. Si itaque hircorum ac taurorum sanguinem immolaturus, maculae omnis expers esse debuit, qui tam sancta contrectat Sacramenta, quanta cordis puritate nitere, quantum, sibi mali conscius, tanta contingere sacra, ne a Deo puniatur, horrere debet. — Ne, igitur, amaram illam Pastor reprehensionem mereatur: *Medice cura te ipsum*<sup>3</sup> et ut, e contrario, cum Servatore Nostro ingeminare possit: *Sanctifico me ipsum, ut sint et ipsi sanctificati*<sup>4</sup>, propriae spirituali saluti quam maxime studeat. Itaque, ut ab omni peccato mortali immunis et saltem vere contritus ad sacramentorum administrationem accedat, ut in virtutum omnium exercitio adeo firmetur, ut absque proprio periculo, coeterorum saluti incumbere possit, ut nonnisi praemissa oratione ad tanta ministranda sacramenta accedat, ac tandem, ut internum animae frigus et ignaviam omnino deponat, hominum timorem, animi demissionem anxietatemque excutiat, quam maxime curabit. Tunc, enim, tantum Divini Salvatoris legatione fungens, Pastor quoque redivivus Salvator erit.

257. — Hisce aliisque facile subaudiendis argumentis omnibus fretus tam sollerter, diligenter ac digne ad Sacramentorum administrationem Pastor accedat, ut fidelium suorum angelus custos ac solator in omnibus ac semper celebrari possit. Sed ut ad peculiariora Sacramenta deveniamus oportet.

<sup>1</sup> S. N. C. in *Laudens*, 23 jun 1892.

<sup>2</sup> Id. in *Adiacens*, 25 sept. 1882 — Cfr. S. R. C., 16 april. 1831, 25 sept. 1882, etc.

<sup>3</sup> *Luc.* IV, 23 — Cfr. Chrysost. *De sacerdotio*, lib. II 8.

<sup>4</sup> *Joan.* XVII, 19.

## Articulus II.

### DE BAPTISMI, ORDINIS ET CONFIRMATIONIS SACRAMENTIS.

#### § I. — De Sacramento Baptismi.

SUMMAE RERUM. — 258. Animadversiones praeviae. — 259. Quae in re canonica praecepta sint — 260. De quibusdam in baptismi administratione prae oculis habendis industriis.

258. — Sacrum Baptisma, christianae religionis aeternaeque vitae ianua, quod inter alia Novae Legis a Christo instituta Sacramenta primum tenet locum, cunctis ad salutem necessarium esse, Veritas Ipsa illis testatur verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*<sup>1</sup>. Ad illud, itaque, opportune riteque administrandum summa adhibenda est diligentia, quae tum canonicis, tum pastoralibus normis obtineri potest.

259. — Canonica in re principia<sup>2</sup> sic accipe:

I. — Materia baptismi est ablutio, ut plurimum, directa [non per instrumentum<sup>3</sup>] corporis per aquam naturalem<sup>4</sup>, et quidem [ad liceitatem] in baptismo solemniter, per illam in sacro fonte vigiliis Paschatis et Pentecostes benedictam<sup>5</sup>; quae ablutio cum pronuntiatione formae coniungi debet. — In necessitatis casu, valide et licite conferri potest cum aqua permixta solutione millesimae partis bichlorati hydrargyrici<sup>6</sup>.

II. — Quoad formulam Baptismi in quocumque idiomate, quatuor exprimat, nimirum: a) personam baptizantis; b) personam baptizati; c) actionem ministri; d) distinctam invocationem trium personarum SS. Trinitatis earumque unitatis in natura<sup>7</sup>. Quae omnia in nota formula in Ecclesia latina adhibita [et in *Rituale* contenta] adamussim inveniuntur<sup>8</sup>.

III. — Ordinarius in sua paroecia, iure ecclesiastico, baptismi minister Parochus est, et nemo, nisi ad universalitatem causarum deputatus, absque sua delegatione hoc praestare potest. Necessitatis causa, persona quaelibet, etsi mulier<sup>9</sup>, ratione utens, dummodo sufficientem adhibeat materiam et formam ac facere intendat quod facit Ecclesiam, huius sacramenti legitimus minister est<sup>10</sup>.

<sup>1</sup> *Ioann.*, XIII, 5.

<sup>2</sup> Cfr. Deshayes ac. D. D. cit.

<sup>3</sup> S. C. R., 16 jul. 1901.

<sup>4</sup> Cap. V. *De Baptismo*, X, III, 42; Trid. VII, cam. 2.

<sup>5</sup> Rit. Roman. 4 *loc.*

<sup>6</sup> S. Offic., 21 august. 1901.

<sup>7</sup> Suarez, *De Baptismo*, disp. XXI, 2; S. Alphons., VI, 108.

<sup>8</sup> Cfr. S. P. F., 22 mart. 1631; S. U.

I., 22 maj 1871; S. C. C. in *Brixians*, 11 febr. 1797; in *Santandrian*, 11 jul.

1801; in *Senens*, 16 aug. 1828.

<sup>9</sup> S. U. L., 20 aug. 1671.

<sup>10</sup> Cfr. S. R. C., in *Mariann*, 10 febr. 1888; S. C. P. F., in *Concinens*, 16 febr.

1804; in *Sinens*, 21 jan. 1788.

IV. — Baptismi subiectum est homo quicumque nondum baptizatus. Infantes usum rationis nondum adepti, necnon perpetuo amentes<sup>1</sup> qui numquam usi sunt ratione, valide ac licite baptizantur<sup>2</sup>. Ad rem:

1. — Infantes omnes, in casu necessitatis, omni possibili modo baptizari debent, etiam in utero matris, quae, [quoties non dubitatur de foeti vita, et matris mortis periculum non timetur] ad procurandum infanti baptismum operationem caesaream, si necessitas exigat, pati debet<sup>3</sup>. Foetus abortivus ac monstrum, quum sufficientem humanam speciem non exhibeat, sub conditione *si capax est* baptizari debet. Foetus in utero supra verticem baptizatus, editus, sub conditione, denuo rebaptizari debet<sup>4</sup>. — Craniotomia vero et quacunque alia chirurgica operatione directe occisiva foetus vel matris gestantis vetita est<sup>5</sup>.

2. — Infantes expositos, a Parentibus derelictos, captos iure belli, non habita cura parentum, licite baptizat Ecclesia<sup>6</sup>.

3. — Infantes catholicorum, summo iure suo, etiam invitis parentibus, baptizat Ecclesia. — Infantes haereticorum<sup>7</sup> per se baptizari debent, et parentes ad hoc compellendi ius habet Ecclesia, quod, tamen, non urget. Quotiescumque, enim, futurae perversionis timetur periculum, extra mortis articulum, baptismum administrare non licet. — Infantes infidelium, regulariter, invitis parentibus baptizandi non sunt; excipe: *a*) si rationis usu praediti, etiam reluctantibus parentibus, hoc postulant sacramentum; *b*) si in certo ac proximo, reali tamen ac particulari, periculo mortis versentur; *c*) si [iuste, vel iniuste] extra parentum curam positi sint ad quos numquam sint reversuri; *d*) si eos perpetuo fore amentes dignoscitur; *e*) si unus parentum consentit; *f*) si uno superstite, immo etiam utroque reluctantante parente, solus avus consentit.

V. Quoad baptismum adultis conferendum:

1. Absque eorum aliquo sufficienti consensu, valide non baptizantur, nec, nisi de tali consensu sufficiens testimonium aut praesumptio prius habeatur, ministro eos baptizare licet<sup>8</sup>.

2. — Adulti non sunt baptizandi nisi prius fidei rudimenta et praecipuas vitae christianae obligationes in catechumenatu fuerint edocti<sup>9</sup>.

3. — Adulti qui numquam habuerunt, nec in posterum rationis usum habituri sunt, invitis etiam parentibus, baptizari debent<sup>10</sup>. Hi vero qui rationis usum amisere, dummodo ante amentiam hoc sacramentum recipiendi aliquam habuerint voluntatem, si constituentur in mortis periculo, vel de eorum sana-

<sup>1</sup> Trid. IV, c. 13; VII, 3; Eugen. IV *Cantate*, 4 febr. 1441; *Benedict. XIV, Omnium* 12 sept. 1744.

<sup>2</sup> S. C. S. Officii 8 Mart. 1770; S. C. Prop. 17 April. 1777.

<sup>3</sup> Id. 15 febr. 1720; S. Thom. *S. Th.* III, q. 68, a 11, ad 3.

<sup>4</sup> S. C. C. 12 Jul. 1794, 16 Mart. 1897.

<sup>5</sup> S. Offic., 28 mart. 1884, 19 aug. 1889. Cfr. Eun., — 24 Jul. 1895.

<sup>6</sup> Cfr. *Benedict. XIV, Instit. Eccles.*, 84; S. Alphons. VI, 130.

<sup>7</sup> S. C. Prop. 17 April. 1772; Suarez. *De Baptism.* d. 25, s. 2; S. Alphons. VI, 126.

<sup>8</sup> S. Thom. *S. Th.* III, q. 68, a. 7, 10; *Benedict. XIV. Postremo mense*, 28 Febr. 1747.

<sup>9</sup> S. C. P. F., 18 oct. 1883 Cfr. S. U. I., 31 mart. 1898; Id. *ad Episcop. Perthen*, 18 sept. 1850, 30 mart. 1898 ad III.

<sup>10</sup> S. C. Off. 8 mart. 1770; S. C. *De Prop. Fide*, 17 April. 177.

tionem desperetur, baptizari debent<sup>1</sup>. Nisi contraria probetur intentio, bona presumitur, et si quis baptizatus sub conditione, ad rationis usum fortasse rediendo, si, examine peracto, de prioris baptismi validitate dubium remaneat, iterum sub conditione baptizatur. — Adulti per intervalla amentes, sicut rationabiles adulti haberi debent, eorumque consensum expectare necesse est.

VI. — Secluso casu necessitatis, vel debita licentiae, natis infantibus quamprimum, in Ecclesia ubi fontes habentur, solemniter, cum ritu et caeremoniis in *Rituale Romano* descriptis<sup>2</sup>, baptismus conferri debet. Caeremoniarum solemnitas ommissa, primo quoque tempore, debita forma, suppleri debet<sup>3</sup>.

VII. — Unus aut, ad summum, duo [vir et femina] baptizando patrini<sup>4</sup> constitui debent, qui parentes baptizandi, coniuges respectu coniugum, infideles, monachi, moniales, impuberes, excommunicati vitandi, criminosi non sint. Patrinus vices suas in baptismo, non autem iura et officia inde exorta, procuratori committere potest. — Melius est ut baptismus conferatur sine patrino, quam illum adhibere haereticum<sup>5</sup>.

VIII. — Baptizatis nomina ridicula, necnon idolorum aut sectatorum falsae religionis haud imponi possunt, sed Sanctorum in Martyrologio Romano descriptorum<sup>6</sup>.

IX. — Ad Baptismi probationem testis unus per se, vel violenta de iure praesumptio, sufficit. Nullo adstante testimonio, pro christianorum infantibus christiano more educatis, pro facta collatione baptismi praesumptio habetur<sup>7</sup>.

X. — Sub irregularitatis periculo, baptismi iteratio prohibetur. Attamen, diligenti inquisitione peracta, si aliquod, iuris aut facti, de collato baptismo dubium maneat, debet iterum sub conditione conferri.

XI. — Si convertatur haereticus, de baptismo ipsi ab haereticis collato inquisitio instituenda est, quum huius administrationis validitas non praesumatur. Deficiente vero argumento pro validitate, aut probabili stante dubio de invaliditate, baptismus iterum sub conditione confertur<sup>8</sup>, coeteris servatis de iure servandis pro confessione et absolutione peccatorum. Nam in adulti sub conditione rebaptizatione, baptismo integra peccatorum confessio praemittenda est, qua habita, absolutio sub conditione impertiri debet<sup>9</sup>.

260. — Ad uberiores sacrorum canonum assequendam observantiam, sequentia in re consilia prae oculis Pastor habeat:

a) Ut saltem in triduo nativitatem sequenti baptizentur infantes Parochus curabit, de quo, de coetero, a synodalibus ordinationibus plurimis, peculiaris lex, quandoque sub peccati reservatione, fertur<sup>10</sup>.

<sup>1</sup> *Benedictus XIV. Omnino*, 12 sept. 1744.

<sup>2</sup> *Benedict. XIV, loc. cit.*, S. C. S. Offic., 12 Febr. 1851.

<sup>3</sup> Id. *Inter omnigenas*, 2 febr. 1744.

<sup>4</sup> Trid. *De reformat. matrim.*, 2; Lehmkuhl, II 70; S. C. C., 12 Jul. 1823.

<sup>5</sup> S. Offic. 3 maj. 1893 - Cfr. Id. 29 Jun. 1900.

<sup>6</sup> *Benedict. XIV. Synod. VII, V; Postrem. mens.*, 28 febr. 1747.

<sup>7</sup> S. C. Prop. Fide, 30 sept. 1848.

<sup>8</sup> S. Offic., 20 nov. 1878; 21 febr. 1884.

<sup>9</sup> S. Offic. 17 Jun. 1713; 7 dec. 1868.

<sup>10</sup> Cfr. *Leo XIII ad Episcop. Anglonen et Tursiens.* 13 maj. 1899; S. C. P. F., 11 sept. 1841; S. U. I., 11 Jan. 1899.

b) Ne capillos tantum attingat aqua, dexteræ pollice vel indice, eam aliquantulum contrectare, ut et ad infantis cutem pertingat, per opportunum erit. Frigidis praesertim in regionibus, si hyemis tempore calefiatur aqua, ad infantis tutandam salutem opportune consulatur <sup>1</sup>.

c) Quoad infantis paternos, praesertim nunc temporis, eorum probitatem nimis urgere imprudentiam sapit, et ut in peculiaribus <sup>2</sup> tantum gravioribusque adiunctis quidam [non compotes sui, non baptizati, haeretici <sup>3</sup> massones notorii <sup>4</sup>] refutentur, tum caritas, tum canonum mens suadet. Interrogationis ipsis faciendae sunt lingua latina: possunt tamen explicari lingua vernacula <sup>5</sup>.

d) Quoad nomen baptizando imponendum, ut saltem, prophano et aliud sanctum, submissa voce, adiungatur <sup>6</sup> curabit Pastor, qui, si in re sollicitus se habebit, plurima, praesertim nunc temporis, emendanda percipiet.

e) Statim ac baptismum celebratum sit, neo-baptizati nomen, patris matrisque adiecto nomine, huius sacramenti celebrationis die, mense ac anno memoratis, patre ac patrino adstantibus ac manu propria obsignantibus, in nativitatum paroeciae registro <sup>7</sup> [de quo infra dicemus] rem totam, intelligibili scriptura, breviter, fideliter et prudenter referat Parochus, ac ab ipso subscribatur. — Si vero de quoquomodo illegitima, vel de alia ex ignotis oborta parentibus ageretur prole, tunc, in quantum prudentia suadet, in ipsius registi margine apponetur notula, vel [quod, quibusdam in adiunctis, praestantius] in peculiari secretarum paroeciae notitiarum libello inscribatur, quod et necessitatis caussa, de baptismi secreta administratione iterandum.

f) De ratione ab ostetricibus, in necessitatis adjunctis, in re adhibenda, eas edoceat Pastor, et quae in re earum practica agendi ratio sit sedulo perscrutabit; quod, generatim, hoc in adiuncto, cum omnibus servandum, et si aliquod in re, rationabile oboriatur dubium, baptismus iteretur.

g) Tum Parochis, tum sacerdotibus omnibus, his interesse coenis quae, laetitiae caussa, in neonati domo celebrantur, quum haud multum aedificationi id esse consuevit, in quantum adiuncta sinunt, devitetur.

h) Infra tempus a *Rituale Romano* statutum in templo vel, ad minimum, in sacristia [non vero privatis in domibus] viventi

<sup>1</sup> Cfr. *Instruct. Pastoral. Eystettens.*, n. 84.

<sup>2</sup> S. U. I., 5 jul. 1878.

<sup>3</sup> Id., 27 jun. 1900.

<sup>4</sup> Id., 23 aug. 1886.

<sup>5</sup> Cfr. S. C. R., 13 jun. 1893, 5 mart. 1904; S. C. C., febr. 1896.

<sup>6</sup> Id. jun. 1803.

<sup>7</sup> Cfr. paradygm. V. ad vol. calc.

puerperae tantum [non vero eius super sepulchrum] dummodo illegitima coniux non sit <sup>1</sup>, benedictio impertienda est, quae nec illis quarum legitima proles, sine baptismo mortua fuerit, deneganda est <sup>2</sup>. Hoc in adiuncto, dum in scanno [non vero super altare] novus ponitur infans, ac vanas puerperarum observationes aliasque [si vigent] obstetricarum superstitiones severe Pastor redarguit, ut de periculo suffocandi, opprimendi aut alias necandi prolem matres edoceat, et ad hoc, ne ante completum annum, eodem in lecto secum positam eam teneant ac tum de huius peccati gravitate, tum de gravibus in re poenis eas mōnere Pastor ne obliviscatur.

## § II. — De Confirmationis Sacramento.

SUMMAE RERUM. — 261. Animadversiones praeviae. — 262. Canonica ac moralia praecepta quae sint. — 263. Boni Pastoris in re sollicitudo quae.

261. — Sanctus ille Spiritus qui super Baptismi aquas salutifero descendit illapsu, et in Fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmationis Sacramento augmentum praestat ad gratiam. Et quia in hoc mundo, tota aetate, invisibiles inter hostes et pericula victuris gradiendum est, in Baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam; in Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur. Et quamvis, continuo transitoris, regenerationis sufficiant beneficia, victuris tamen necessaria sunt confirmationis auxilia.

262. — *Confirmationis*, Novae legis sacramentum, quo, per manuum impositionem et chrismatis unctionem, christiani corroboratur fides, communibus in adiunctis, ab Ordinario confertur; eius tamen minister, ex speciali Pontificis delegatione, et simplex sacerdos [chrisma per Episcopum confectum adhibens] esse potest. Ad rem iuxta canones <sup>3</sup>:

I. Subiectum validae confirmationis omnis homo baptizatus, nondum confirmatus est <sup>4</sup>.

II. Ad huius sacramenti liceitatem, rationis usus, doctrina competens et status gratiae requiritur. Attamen et amentes ac periculo mortis obnoxii, licite confirmantur.

III. Sacramentum hoc non est de necessitate medii; attamen de illo suscipiendo, saltem decurrente vita et data opportunitate, iure divino, praeceptum urget. Ad primam tonsuram et ad ordines, qui confirmationis haud receperit sacramentum, minime admitti potest.

<sup>1</sup> S. C. C. 18 jun. 1859.

<sup>2</sup> Id. 8 jul. 1896.

<sup>3</sup> Cfr. Deshayes et D. D. cit.

<sup>4</sup> Benedict. XIV, *Eo quamvis*, 4 mai 1745.

IV. Effectus iuridicus confirmationis, cognatio spiritualis est, cuius vi confirmans et patrini [dummodo et ipsi jam confirmati sint], cum confirmato eiusque parentibus [patre et matre] impedimentum matrimonium dirimens, de iure ecclesiastico, contrahunt.

V. Patrini<sup>1</sup> requiruntur tantummodo unus, qui, non minor annis quatuordecim, eiusdem sexus cum confirmando, diversus a patrino baptismi, nec confirmandi pater, mater, uxor, maritus, nec censuratus, criminosus, regularis esse potest<sup>2</sup>. — Etsi, cuique confirmando suum adesse patrum deceat, attamen, rationabili de causa, patrini unus pro pluribus confirmandis constitui potest.

VI. Confirmatorum et patrinorum nomina, tum ad cognationes detegendas spirituales, tum propter sacrorum ordinum susceptionem, speciali in libro adnotari debent<sup>3</sup>.

263. — Ex canonum littera quae, quoad Confirmationis sacramentum praestare Pastor debeat perspicue evincuntur, quae, utilitatis gratia, ita perstringimus:

a) Ut de hoc sacramento suos Pastor edoceat fideles necesse omnino est, quod, tum de suggestu per conciones, vel de plano in catechesibus praestabit. De eodem, igitur, characterem indelebilem imprimente sacramento, eiusque dignitate, utilitate, institutione, effectibus ac caeremoniis saepe et in tempore parochianos suos instituat Pastor; qui si tunc tantum de re sermonem ad populum haberet, quum Episcopus illud proxime collaturus est, suo numeri profecto deficeret.

b) Ut huius sacramenti propinquante tempore, confirmandi rite instruantur Pastor advigilabit, quod in peculiaribus instructionibus praestabit, in quibus quae, generatim, de huiusmodi sacramento paroecianis omnibus scienda sunt, de plano, ac practice, confirmandis iterabit, a quibus ut quae in re catechismi sunt praecepta memoriter, at non psittacorum more, mandent, curabit. Nuperrime in re ordinationes habentur:

Parochi, statis anni temporibus, pueros ac puellas ad sacramenta Poenitentiae et Confirmationis rite suscipienda praeparent, continenti per dies plures institutione<sup>4</sup>.

c) Sacramentalis confessio huius sacramenti administrationi praemittenda est, in qua ut confirmandi, generali ratione, conscientiam suam discutiant purgentque consulendi sunt; qua ratione ad Sancti Spiritus gratias suscipiendas aptius ipsi parentur.

<sup>1</sup> Trid. XXIV, 2; Cfr. S. Alph. VI, 155, d. 2.

<sup>2</sup> Cfr. S. Offic., 3 maj 1893, S. Poenit., 10 dec. 1860.

<sup>3</sup> Cfr. Rit. Roman ad tit. De Confirmat.; paradygm VI, ad vol. calc.

<sup>4</sup> SS. D. N. Pius PP. X, Encycl. Acerbo nimis, 15 april. 1905.

d) Illam vero praxim qua antequam ad Primam Communionem pueri accedant, hoc Confirmationis sacramentum suscipiant, uti quam maxime laudandam<sup>1</sup>, fidelibus Pastores commendent.

e) Tandem et compositio corporis confirmandis suadenda, in quo eorum conditioni peropportune consulendo, saltem in habitu ac in tota eorum corporis compositione, decentiam, devotionem, modestiam et, si fieri potest, ieiunium vel saltem sobrietatem, ipsis Pastor suadebit. Tandem ut lotam prius frontem, sudore denuo madidam, strophilo extergant, distortos ac promicantes per frontem capillos praecisos afferant, tum confirmandos, tum eorum Parentes in tempore admonent, et ne statim ac sanctum susceperint sacramentum, frontem tergere audeant, primos edocebit. Hisce, enim, industriis omnibus, dum quae sacramenti debetur reverentia Pastor ipsis suadet, et erga S. Spiritum singularis affectio eorum in animis fovebitur<sup>2</sup>.

### § III. — De Ordinis Sacramento.

SUMMAE RERUM. — 264. Animadversiones praeviae. — 265. Boni Pastoris in re industriae ac sollicitudines quae. — 266. Conclusio.

264. — Dominus Iesus, cum Corpus Suum comedendum, et Sanguinem Suum bibendum, in ultima coena dedisset Apostolis, et idem, in Sui Ipsius commemorationem facere iussit, et, proinde, faciendi quae ipse fecerat, eos potestate auxit. Cum, devicta morte, sanctae aeternitatis aditum nobis reserasset, remittendi ac retinendi peccata Apostolis copiam fecit. Cum completis diebus Pentecostes, Spiritum Sanctum omnes acciperent et variis loquerentur linguis, eundem Divinum Spiritum et mira ipsius dona, in eius virtute qui Paraclitum miserat, credentibus omnibus Apostoli contulere. Piissimus autem Redemptor [cum Ecclesia sua usque ad consummationem saeculi, futurus] sacramenti conficiendi ac dispensandi potestatem, et ut ad Fidei et munia ecclesiastica administranda necessariam gratiam, ritu externo ad alios transferre possent, Apostolis ac successoribus praeterea Ipse dedit. In mirabilium suorum consummationem et propagationem quae operatus est pro nobis, Ordinis sacramentum ipse instituit. — Haec generaliter dicta habeantur; cum in re indirecta Pastoris opera, huc tantum redeat ut, suo ex grege, futuri Sanctuarii Levitae, Divina inspirante Gratia, comparentur.

<sup>1</sup> S. C. C. ad Episcop. S. Dionysii, 19 nov. 1854; Leo XIII, ad Episcop. Massiliens. 22 jan. 1897.

<sup>2</sup> Cfr. confirm. paradygma VII ad calc. volumin.

265. — Ad rem sequentes normas practicas prae oculis Pastor habeat:

a) Sacerdotales vocationes, suo in grege, quam maxime foveat Parochus<sup>1</sup>. Quapropter, quum in aliqua christiana familia ad digne sacerdotale opus ministrandum puerum quendam aptum viderit, an eius temperamentum sanum, intelligentia conspicua, iudicium rectum, cor adeo purum sit, ut in leviticorum numero adscribi possit, sedulo investigabit Pastor. — Si interdum ad divinam sequendam vocem libera filio optio est, saepius Parentes in hoc obstacula ponunt, et eo magis, praesertim in pagis ac inter tenuiores, non propter Christum, sed propter Christi panem ad sanctuarium [materiale quod considerant promissionis terram] modis omnibus, eum compellunt. Pastor, igitur, dum primos laudat, alteros suadere conetur, postremos vero ne de indigni sacerdotis flagitiis apud Deum ac Ecclesiam rei constituentur, quam maxime deterrere satagat. — Quos vero sponte, neque humanis suffultis rationibus, ad Sanctuarium introire desiderant, nisu omni Pastor adiuvet, et ut quam primum a mundano separentur contagio in *schola presbyterali* primum adsciscat, et quum aptum tempus advenerit, proprio Ordinario indiget, ut in Seminarium cooptati, in dioecesis Ecclesiaeque spem, tuto sub magisterio, adolescant, ac fructum suum, in tempore, in christiana plebe largiter effundant.

b) At nec satis; nam, quamvis clerici in Seminario degant, Pastoris esse oves nunquam desinunt, qui, itaque, quoties occasionem habuerit, eos invisere ac saltem consiliis, et si opus sit admonitionibus quoque adiuvari debet, ut Gratiam Dei in vacuum non recipiendo, ad tantum apostolicum opus digne administrandum, sensim sine sensu, parentur. Qua in re ab illius Moderatoribus de sua ipsorum agendi ratione notitias exquirere pernecessarium, ut, viribus unitis, quae a clericis praestanda veniunt, facilius assequantur. — Dum vero filios adiuvat Pastor, eius Parentes ne negligat, ut Deo tantum, non humanis rebus ac materialis emolumentum spei inserviando, electionem status omnino liberam natis relinquunt<sup>2</sup>.

c) Quo ad maiores clericus appropinquatur Ordines, eum magis curet eiusque sacerdotalem vocationem discutiat rimetque Pastor, qui si ex quibusdam indiciis quaedam huic contraria deprehenderit quae radicale ac irreparabile in re obstaculum ponere possint, prudenter Ordinarium admoneat, ne Ecclesiae opes ac curas cum tempore, inutiliter terendo,

<sup>1</sup> Cfr. Gibier, *Le manque de Prêtres et la recherche des Vocations Ecclesiastiques*, Versailles, 1907; Deliberat. *Episcoporum*. Longobard., 1908, et Eosd. epist. 29 jun. 1908.

<sup>2</sup> Cfr. nostr. op. *De Rectore in Sacris Seminariis*, pag. 159; *De Ratione disciplinae*, pag. 81.

ac seminarii ordinem pessumdando, diutius quam par est inter sacrorum alumnos ille moretur. Difficultates quae in re tum ex clerico, tum, et praesertim, ex eius Parentum parte, interdum, habentur gravissimae, Pastor bonus superare conetur, quo vere dignus Ecclesiae minister ac ovium suae custos Pastor bonus ipse erit. — Si vero, procedente tempore, de Moderatorum suorum consilio, sacrum clericum deponat habitum, ne tum Parochus, tum plebs fidelium uti a [Sanctuario profugum ipsum habeant, numquam satius suadebitur: immo, ut tenacem propositi virum eum dilaudet, ac ut coeteri quoque laudent aestimentque suadeat. Melius est enim, paucos at genuine electos habere ministros, qui a Deo vocati Altaris opus digne exerceant, quam multos qui, auri sacra fame adlecti, per fas ac per nefas, tantum ministerium, sibi, plebique sanctae Dei in casu perniciosissimum, lucri tantum gratia assumant.

d) Sed praesertim in autumnalibus vacationibus [quas quibusdam in dioecesibus, per integrum, vel per partem apud suos clerici habent], assidue diligenterque a Pastore in suum clericum advigilandum erit, ne quod, labore multo, in anno ille congregavit, nullo negotio, paucis in mensibus, disperdat. Hoc, enim, tempus quamplurimis clericis perniciosissimum evasisse, quotidiana experientia docet! Eius, igitur, agendi rationem in omnibus ac per omnia semper advigilabit Pastor Bonus, cui uti Seminarii Moderatorum locum tenenti, non solum ius, sed et gravissimum in re conscientiae debitum extat. Clerici ad sacramenta frequentiam, eius ad ecclesiasticas ac paroeciales functiones assiduitatem, quomodo altari ipse deserviat, quam in paroecia generalem vitae rationem servet, quae loca vel familias frequentet, quibus lectionibus studeat, cum quibus versetur, eius obedientiae, caritatis, sinceritatis, puritatis, orthodoxiae, mortificationis spiritus qui sint et ita porro, sedulo Pastor inquirat, qui si in re sedulam praestabit operam, plurima emendanda percipiet. — Quousque licet, sua in canonica eum per diem commorari iubeat, ubi sub proprio vel coadiutoris magisterio, ad divina exercenda ministeria, rectas ideas ac praxim congruentem, sensim sine sensu, addiscet. Praesertim vero quidquid tum in habitu, tum in sese gerendi ratione levitatem, arrogantiam, novitatis studium, saecularem dissipationem, a studiis ac divinarum rerum diligentia alienationem sapit et similia a clerico arceat; et ne diarium ephemeridumque [in Seminario ipsi veterum<sup>1</sup>] lectione tempus inutiliter tereat, ac mentem mala ratione dissipet, Pastor vigilabit.

<sup>1</sup> Cfr. SS. D. N. Pii PP. X, Motu proprio, *Sacror. Antistitum*, cit.

e) Vacationum tempore elapso [ut in complurimis servatur dioecibus] de clerici sese gerendi ratione Ordinarium, vel Seminarii Rectorem Parochus edocere tenetur. Qua in re dum prudentiae leges servat, et veritatem adeo colat, ut hi ad quos pertinet clericum apte dignoscant. In re, igitur, non passioni, sed genuinae veritati serviendum, quo tantum Ecclesiae, dioecesis, paroeciae ac ipsius clerici bonum tuetur.

f) Sacrarum ordinationum appropinquante tempore, de orationibus pro impetranda Dei Gratia ut in suam electam vineam dignos operarios mittere dignetur, populum edocere ne omittat. Ad hoc, enim, praecipue quatuor anni temporibus ecclesiasticum institutum est ieiunium, quo et priscis Ecclesiae consuetudinibus [per Tridentinum commendatis], aliquatenus satisfit. Quod vero ad maiorum sacrarum ordinationum promulgationem spectant, quae de monitis in die dominica populo renuntiandis alibi diximus<sup>1</sup>, prae oculis habeantur.

266. — Uno verbo [sit conclusionis ergo dictum] non solum ad Dominicae vineae operariorum numerum augendum se missum Pastor consideret, sed potius ad adeo secernendum lolium a tritico, ut triticum tantum servetur excolaturque, lolium vero in ignem mittatur. Qua ratione tantum pergravissima D. Gregorii querela haud locum obtinebit; *Ecce mundus sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valde invenitur operator, quia officium quidem sacerdotale suscipimus, sed opus officii non implemus*<sup>2</sup>. Multitudo talium sacerdotum, calamitas populorum, iure meritoque, monuere Veteres.

### Artculus III.

#### DE POENITENTIAE SACRAMENTO.

##### § I. — De Poenitentiae sacramento in genere.

SUMMAE RERUM. — 267. Animadversiones praeviae — 268. Quae in re canones dicant — 269. Ante confessionem quae quoad se ipsum, locum ac tempus a Pastore praestanda sint — 270. In confessione, quae circa eius essentiam in poenitente praestare debeat. — 271. In sua generali ac peculiari ratione quomodo Pastor se habere possit. — 272. De sollicitationis crimine et in re canonicae normae. — 273. De lucri suspitione arcenda. — 274. De aptis suggerendis mediis. — 275. Quo pater ac doctor, quo medicus ac iudex quae a confessario curanda sint.

267. — *Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut iustitiam in baptismo, ipsius beneficio et gratia, susceptam* [ac sacro chri-

<sup>1</sup> Cfr. indic. alphabetic. *Monita*.

<sup>2</sup> *Hom. in Evangel.*, I, 17.

smate roboratam] *constanter tuerentur, non fuisset opus, aliud ab ipso beneficio baptismi sacramentum ad peccatorum remissionem institui. Quoniam autem Deus, dives in misericordia, cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitae remedium contulit, qui se postea in peccati servitute et demonis potestatem tradidissent, sacramentum, videlicet, poenitentiae, quo lapsis post baptismum beneficium mortis Christi applicatur*<sup>1</sup>. Deus, enim, cuius misericordia exaltata est super omnia opera eius, Poenitentiae Sacramentum secundam nobis, post naufragium, exhibuit tabulam; neque iam tam nefarium et exitiale habetur piaculum, quod eodem septies et usque septuagies septies deleri non possit. Mira et vere divina dignatio, quod Pater Aeternus filium hereditatis prodigum, si ad pedes eius procidens *Pater peccavi in coelum et coram te*<sup>2</sup> confiteatur, sacerdotis ore, stola prima vestiri iubeat!

268. — In primis et ante omnia, heic quoque, canonum ac theologiae morum<sup>3</sup> principia praecedant, quae huc redeunt:

I. — Paenitentia est « sacramentum Novae Legis, quo, per juridicam absolutionem sacerdotis, homini contrito, confesso et satisfactionem spondenti, remittuntur peccata post baptismum commissa ».

II. — *Materia remota* [seu potius removenda] Paenitentiae sunt ipsa peccata poenitentis; *materia proxima*, seu « quasi materia », sunt tres actus poenitentis, videlicet, contritio, confessio et satisfactio, quae tres Poenitentiae « partes » dicuntur. — Immutata disciplina Ecclesiae, satisfactio hodie absolutionem amplius non praecedit, et levior [non publica] confitentibus poenitentia imponitur.

III. — Forma sacramenti Paenitentiae haec est: « Ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti » praeterquam, nisi urgeat necessitas, integra adhiberi debet formula *Rituali Romano* praescripta.

IV. — Confessio sacramentalis est [in re, vel saltem in voto] de iure divino omnibus post Baptismum in peccatum mortale prolapsis necessaria ad salutem<sup>4</sup>: de iure ecclesiastico, saltem semel in anno, tempore paschali, urget<sup>5</sup>.

V. Minister Paenitentiae est solus sacerdos, ea tamen ratione ut valida non sit absolutio, nisi in eo simul concurrant ordo presbyteralis et expedita potestas jurisdictionis<sup>6</sup>.

VI. — Sacramentum Paenitentiae per modum iudicii tractatur; nullus, ideo, sacerdos valet absolvere nisi quos sibi subditos in foro conscientiae habuerit ratione jurisdictionis, sive ordinariae, sive delegatae<sup>7</sup>; in quo diligenter cavere debet delegatus ne limites factae sibi commissionis ab Ordinario excedat.

VII. — A collatione jurisdictionis prorsus differt et absolute separabilis est approbatio<sup>8</sup>, quae definitur: iudicium authenticum seu declaratio a superiore facta

<sup>1</sup> Trid. XIV, c. 1.

<sup>2</sup> Luc. XV, 18, 21.

<sup>3</sup> D. D. cit.

<sup>4</sup> Joan. XX, 23; Math. XVIII; Trid. XIV, de Poenit. c. 6.

<sup>5</sup> Concil. Later. IX. *Omnis utriusque*

*sexus fidelis*, 12 de poenit. X, V. 38;

S. Alph. VI, 662.

<sup>6</sup> Trid. XXIII, 15.

<sup>7</sup> D'Annibale III, 318.

<sup>8</sup> S. Alph. VI, 538.